

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Tekst oficjalny

Commune incliti Poloniae Regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque, ed. I. Lascius, Cracoviae 1506, k. 193

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 112 [Gn. 101]

[112] De iniusto iuditio advocati et de pena eius quomodoque proinde iudicari debeat.

Nunc attendatur de avvocato, si non iuste iudicaverit, cum sibi querulatur, et hoc propter amorem aut munera, aut ob aliquam causam dimittit, vel si solus noxam fecerit iniustam, quam de iure facere non debuit, postquam ad iudicem electus sit ius confortare aut iniurias suffocare, seu debilitare. Si querela super ipsum in suo iudicio facta fuerit, tunc scultetus iudex esse debet super advocatum, seu super burgrabium, et per hoc cogitur cum sententiis, quod ante ipsum oportet respondere, ut in posterum patebit. Petat, quod advocatum seu burgrabium surgere per sententiam, quod super ipsum habeat querulari et sententialiter petat, ut alium ponat iudicem loco sui, quod ipsum facere oportet. Et tunc locet scultetum, qui sibi debet iudicare simili modo scultetus iudicet advocatum, seu burgrabium. Iccirco advocatus bannitum iudicium absque sculteto facere non potest, quia coram eo ad ius se debet exhibere, si super ipsum aliquis querulatur. Si hoc contra iusticiam anno et die recusaverit, extunc domino terre iudicium vacat, quod ab eo habuit, et regi bannum, si persecutus fuerit cum veris sententiis.

[hasła: wójt, skarga, wyrok niesprawiedliwy, sołtys, sędzia, odpowiedzialność, sąd wyłożony, rok i dzień, termin, sąd królewski]